

8.12.11

*Impp. Arcadius et Honorius AA. Eusebio comiti sacrarum largitionum.*

Ne splendidissimae urbes vel oppida vetustate labantur, de redditibus fundorum iuris rei publicae tertiam partem reparacioni publicorum moenium et thermarum subustioni deputamus.

*D. XI k. Iul. Mediolani Olybrio et Probino cons.*

[a. 395]

8.12.12

*Idem AA. Caesario pp.*

Omnis provinciarum rectores litteris moneantur, ut sciant ordines atque incolas urbium singularum muros vel novos debere facere vel veteres firmius renovare: scilicet hoc pacto impendiis ordinandis, ut adscriptio currat pro viribus singulorum, deinde adscribantur pro aestimatione futuri operis territoria civium, ne plus poscatur aliquid, quam necessitas imperaverit, neve minus, ne instans impediat effectus: oportet namque per singula non sterilia iuga certa quaeque distribui, ut par cunctis praebendorum sumptuum necessitas imponatur: nemini excusatione vel aha praeassumptione ab huiusmodi immunitate praebenda.

*D. VIII k. April. Arcadio III et Honorio III AA. cons.*

[a. 396]

8.12.13

*Idem AA. Theodoro pp.*

Nemo iudicum in id temeritatis erumpat, ut inconsulta pietate nostra novi aliquid operis existimet inchoandum, vel ex diversis operibus ornamenta aut marmora vel quamlibet speciem, quae fuisse in usu vel ornatu probabitur civitatis, eripere vel alio transferre sine iussu tuae, sublimitatis audeat, etenim si quis contra fecerit, sex libris auri multabitur.

1 ¶ Similis etiam condemnatio ordines civitatum manebit, nisi ornamentum genitalis patriae decreti huius auctoritate defenderint.

2 ¶ Horreorum autem vel stabulorum fabricas arbitratu proprio provinciarum iudices studio laudandae devotionis adripiant.

*D. k. Ian. Mediolani Honorio A. IIII et Eutychiano cons.*

[a. 398]

8.12.14

*Idem AA. Severo pu.*

Aedificia, quae vulgo parapetasia nuncupantur, vel si qua aha opera moenibus vel publicis operibus sociata cohaerent, ut ex his incendium vel insidias vicinitas reformidet aut angustentur spatia platearum vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac prosterni praecipimus.

*D. Vid. Oct. Constantinopoli Honorio A. IIII et Eutychiano cons.*

[a. 398]